

Latein

1. Mai 2009, 8:00 Uhr

Nuntii Latini mensis Aprilis 2009

Recitator: Volker Lütjens

Italia motibus terrae quassata

Italiae in regione Aprutio ad trecenti homines motibus terrae gravibus necati sunt. In oppido L'Aquila, quod his motibus gravissime afflictum est, sescenta aedificia corruerunt, milia hominum domiciliis privati sunt.

Aprutium – Abruzzen – Abruzzi
sescenti – hunderte - hundreds

Nautae in manibus piratarum

In sinu Adenensi duae naves Germanicae a piratis interceptae sunt. Quibus in navibus quadraginta quattuor nautae fuerunt, in his quinque Germani. Magister quoque alterius navis Germanus est. In praesentia sedecim naves et plus ducenti quinquaginta nautae in manibus piratarum sunt.

Grippa suilla diffunditur

Grippa suilla a Mexico civitate orta per orbem terrarum disseminatur. In plus septem terris adhuc illud virus novum detectum est. In Germania quoque sunt, qui hac pestilentia infecti sint.

Electiones in Africa Meridiana habitae

Quartis electionibus democraticis post segregationem nigrarum finitam in Africa Meridiana habitis cives parlamentum novum habebunt. Denuo factioni Congressus Africani Nationalis regenti longe maxima suffragiorum pars data est, cum Jacob Zuma dux eius maioritatem ad constitutionem mutandam necessariam assecutus non sit. Ad quas electiones animi hominum ubique terrarum maxime intenti erant, nam proximo anno certamina campionatus mundani pedifollici hac in terra habebuntur.

Sepulcrum regium repertum

Non longe ab Alexandria sepulcrum Cleopatrae et M. Antonii repertum est. Hoc quidem viri eius rei periti affirmant. Quae regina Aegyptia et imperator ille Romanus inter amantes notissimos omnium saeculorum numerantur. Paucis annis ante regina amica C. Iulii Caesaris fuit.

Familiae Obama canis adiunctus

Novi praesidentis Americani familia canem aquaticum semine Lusitano ortum sibi comparavit. Quem canem Bo nominatum, qui celeberrimus in America nunc est factus, Sasha et Malia praesidentis filiolarum sibi exoptaverant.

semen – Rasse – breed
Lusitanus – portugiesisch – Portuguese

Klinsmann dimissus

Biduo post cladem Bavarorum a societate pedifollica Schalke 04 in ipsorum arena acceptam Jürgen Klinsmann exercitator dimissus est. Qui decem tantum menses hoc munere functus est. Magnam exspectationem, quam duces societatis pedifollicae Bayern München in eo posuerant, explere non potuit. Successor eius est Jupp Heynckes, qui ipse aliquot annis ante exercitator Bavarorum fuerat.

Mutabile semper femina

In America meridionali primum formicarum species detecta est, quae masculis plane caret. Omnes enim, quae ea continentur, feminae sunt, quae parthenogenetice procreantur. Illas esse per tam longum huius propagationis usum ita mutatas, ut ne, si masculi essent quidem, iis coire possent, formicis specierum affinium comparatis est investigatum.

NOTABILIA: Expositio Monacum translata

Exhibitio de luxuria moribusque depravatis Romanorum divitum ad Sinum Neapolitanum viventium usque ad mensem Augustum monstratur in Museo "Archäologische Staatssammlung München". Anno praeterito haec exhibitio Bremae iam in Museo Focke magnam spectantium frequentiam allucierat. Ut iam Bremae Kurt Hille Monaci quoque res

expositas Latine explanabit diebus vicesimo primo mensis Iunii atque undevicesimo mensis Iulii (21.6. et 19.7.) horis undevicesima cum dimidia et decima quarta cum dimidia (11:30 h et 14:30 h). Plura invenies in interrete sub www.archaeologie-bayern.de

Spectanda:

Mirum Hudsonicum , [1:14] 

Lateinnachrichten April 2009 

Deutsche Version

Quelle: <http://www.radiobremen.de/nachrichten/latein/latein/vorschau858.html>